



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

Krimer, Ferdinand

Augustæ Vindelicorum, 1706

Quæstio XV. In Tit. XV. De Sacra Unctione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)

2104.

Not. autem 1. quòd scienter aliquem ordinans, ante ætatem legitimam, suspendatur à collatione; ordinatus autem, ab executione Ordinum, dum habeat ætatem requisitam, c. *Vel non est compos* 14. *junct. c. dilectus* 15. *de Temporib. Ordinat.* Et quamvis Covarruvias in *Clem. si furiosus, de homicidio* p. 1. n. 4. doceat, hunc solum esse suspendendum secundum jus commune; contrarium tamen habetur in Extravag. Pij II. incip. *Cùm ex sacrorum*, apud

Piafecium p. 1. *prax. Episcop. a. 4. n. 2.* Not. 2. Episcopum non posse dispensare in ætate, requisita ad dignitates, seu beneficia curata *gloss. in Clem. fin. & c. 1. h. t. in 6. v. non imminet. v. Barbof. in dict. c. 1. & Azor. p. 2. l. 6. c. 5. q. 9.* Cæterum in materia ætatis creditur parentibus, vel dicto testium, *L. de ætate ff. de Minoribus.* Rebuff. in *praxi benefic. in literis prima tonsuræ* n. 13.

* * *

QUÆSTIO XV. IN TIT. XV. DE SACRA UNCTIONE.

2105.

Sacra Unctio hic significat sacri Olei materiale delibutionem, factam secundum formam Ecclesiæ; Hostiensis hic in *Summa* n. 2. Agitur hic de illa, quia in sacris Ordinibus conferendis, de quorum collatione nunc tractamus, usus est sacræ unctiois; Desselius hic §. 1. Not. autem 1. sacram unctioem, aliam esse *exteriorem*, eamque materiale, & visibilem, qua visibiliter inungitur corpus; aliam *interiorem*, quæ fit per gratiam, & ad exhibendam exteriorem unctioem, quæ est signum interioris, benedici, & consecrari *Oleum* olivarum, quod dicitur *Catechumenorum*, & *Infirmorum*; si ei jungitur balsamum, vocatur *Chrisma*.

Not. 2. *Episcopos*, dum consecrantur, ungi in capite, & manibus, c. *unic. h. t. Sacerdotes*, simplici Oleo olivarum benedicto, in manibus, *glossa c. præterea dist. 23. omnes Christianos*, dum baptizantur, in scapulis, & pectore, c. *unic.* per frontis *Chrismationem*, qua intelligitur manus impositio, & alio nomine dicitur *confirmatio* (quam jure ordinario confert solus Episcopus; ex delegatione Papæ, etiam simplex Sacerdos, ut colligitur ex *c. 1. dist. 95.* & determinatum videtur à Concilio Florentino in decreto Eugenij, §. *secundum*

Sacramentum) Imperatores autem, & Reges, in brachijs, & humeris *cit. c. unic. §. unde veteri.* Not. 3. sacram unctioem adhiberi præterea in extrema unctioem infirmorum, in consecratione altarum, dedicatione Templorum, Benedictione Calicum &c. de quibus alio loco.

Ex his colliges, quòd unctio Ecclesiæ (juxta Sylvestrum V. *Unctio*) sit triplex; una, quæ nec Sacramentum, nec Sacramentale est: quia nec per se gratiam causat, nec ad aliquod Sacramentum perficiendum, vel suscipiendum ordinatur, qualis est unctio Regum; unde ea fieri non debet cum materia consecrata; & multò minus cum chrismate; nec fit in capite, sed in humero, vel armo: Imperatoris unctio habetur in *Clement. de jurejur. cap. unico. §. Edictus*: secunda est Sacramentalis, non Sacramentum: quia scilicet ad Sacramentum ordinatur, vel suscipiendum, ut *Catechumenorum*, vel perficiendum, ut unctio Baptizati in vertice: tertia est Sacramentum per se, & duplex; scilicet *chrismatis* in fronte per Episcopum; & *Olei Sancti* per Sacerdotem in extremis. Plura de *Unctioe Sacramentali*, tradunt *Theol. morales. v. n. 2808.*

2206.

* * *

QUÆSTIO XVI. IN TIT. XVI. DE SACRAMENTIS NON ITERANDIS.

2207.

Cum sint quædam Sacramenta, quæ animæ Characterem indelebilem (signum scilicet potestatis aut virtutis ac-
Tom. I.

ceptæ in Sacramento) imprimunt; hæc autem iterari non possunt sine sacrilegio; duo præscribuntur hoc titulo; 1. ut, si in
R r r
Ordi-